



Q. D. B. V.

24. / 16

DE

INDOLE ACTIONIS DE RECEPTO
EIVSDEMQUE VSV HODIERNO
FORENSI

1789 10

COMMENTATIO

Q V A M

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

CAROLO CHRISTIANO AVGVSTO VLICHIO

PHIL. ET IVR. VTR. DOCTORE

D. XIII NOVEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXVII

H. L. Q. C.

ERVDITORVM DISQVISITIONI

S V E M I T T E T

IOANNES GOTTLOB KRAZSCH

BORNA - MISNICVS.

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.



INDOLE ACTIONIS DE RECEPTO
EIVSDEMQUE VSY MODERNO
JOHANNI

INDOLE ACTIONIS DE RECEPTO
EIVSDEMQUE VSY MODERNO
CAROLO CHRISTIANO AUGUSTO VILCHIO

INDOLE ACTIONIS DE RECEPTO
EIVSDEMQUE VSY MODERNO
JOHANNI





DE
INDOLE ACTIONIS DE RECEPTO
EIVSDEMQUE VSV HODIERNO
FORENSI.

§. I.

Nobilioribus illis Romani praetoris edictis, quibus adhuc nunc in pandectis locus datur, profecto etiam illud, quod nobis Tit. D. naut. caup. cet.^a) sistit, annumeratur merito suo, quoque praetor, cui securitatis peregrinantium promotio curae cordique fuit, constituit, ut nautae, caupones stabularii res receptas salvas restituant, et aduersus restituere recusantes iudicium se daturum pollicetur. Olim quidem,

a) in l. 1. pr. d. t.



dem, qui iter facientes hospitio excipiebant, mox conducti, mox depositi actione tenebantur, prouti vel mercede interueniente, vel gratis hospitium aduenientibus praeberint,^{b)} quarum actionum illa damnum leui recipientis culpa, haec vero solum dolo, et, quae huic semper in iure par poni solet, culpa lata^{c)} persequitur. At illis actionibus longe praestantior ac peregrinantibus salubrior existit actio ex hoc praetoris edicto resultans, qua, vel nulla recipientis culpa probata, damni perpeffi reparationem reiue amissae restitutionem, persequimur, dum ex sola receptione obligatio restituendae rei receptae, reparandique damni nascatur.^{d)}

§. 2.

○ Neque est, quod praetorem hunc in modum edixisse miremur, quin potius absque difficultate intelligamus, hoc edicto vnicuiusque reipublicae salutem promoueri, idemque illud reipublicae Romanae formae, et ingenio eorum, qui apud Romanos artem exercuerunt nauticam, vel cauponariam, apprimere esse accommodatum. Securitate namque peregrinantium promouentur commercia, quorum flore haud parum adiuuatur humanae vitae commoditas atque prosperitas,^{e)} isti vero securitati iter facientium melius consuli vix potest, quam si aestutiae atque calliditati eorum occurratur, quorum fidem, sequi peregrinantes coguntur, illisque omnis occasio cum furibus ac latronibus coeundi intercludatur; quod ipsum suo edicto intendisse se,

b) l. 3. §. 1. eod.

c) l. 32. D. depositi, l. 226. de V. S. l. 1. si mens. fals. mod.

d) c. l. 1. §. 1.

e) teste Plin. H. N. lib. 33. cap. 1. et Hug. Grot. de I. B. et P. Lib. II. Cap. XIII. Proinde non incongrue commercia esse ipsius iuris naturae hypothetici, existimat Hermogenianus in l. 5. ff. de I. et l. vid. quoque Kestner de iur. peregrinantiam, Kintel. 1700. Th. XIII.



se, praetor fatetur.^{b)} Hoc ergo edictum eius indolis esse, vt securitati commoditatique hominum quam optime consulat, nemo facile erit, qui non perspiciat. Sed imprimis quoque consentaneum est moribus cauponum Romanorum, qui Romanis semper leuissimae fidei homines visi sunt,^{c)} quorum propterea dolo fraudibusque obuiam ire, magnae fuit necessitatis.

§. 3.

Voluit ergo praetor, vt ii, qui aduenas excipiunt hospitio ex hac receptione, tanquam ex contractu obligentur, ad res receptas non modo summa fide ac diligentia custodiendas, verum etiam saluas ac illaesas restituendas, ad eosque compellendos iudicium se daturum promisit. Atque hoc est iudicium illud, seu actio ex edicto descendens, quam nobis ex instituti ratione diligentius explicandam elegimus. Cuius quidem rei ergo eo minus veremur, ne subeamus vituperationem, quo luculentius constat de vsu huius doctrinae in foro frequentissimo. Quantumuis vero alii^{d)} huic materiae exponendae incubuisse, ingenue fatendum sit, ita tamen eandem doctissimis suis scriptis non exhaurerunt, vt in ea explicanda plane nihil reliquerint alienae industriae.

A 2

§. 4.

b) I. I. §. 1. naut. caup. cet.

c) Quemadmodum ipse praetor conqueritur l. 1. §. 1. in f. D. c. t. verbis: *cum ne nunc quidem abstineant huiusmodi fraudibus*. Cui addi potest locus ille Horatii Serm. I. 5. vers. 4. vbi *Nautae, Caupones*, atque *Maligni* sibi inuicem assimilantur.

d) Scripserunt de hac re Kraus. in Disp. de actione de recept. damn. fortuit. non persequente, Viteb. 1750. Harprecht in Disp. actio utilis de recepto, vtrum aduersus rhedarum meritoriar. exercitores, postar. magistros, et quascunque aurigas locum hab. Tub. 1704. aliique. Tetigerunt eam quoque Kestner. de iur. peregrinant. Rint. 1700 et Philippi de rhedis meritoriis, Lips. 1720.



§. 4.

Vt vero ordine procedamus, prius circa ipsam receptionem hospitem aduenientium, tanquam fontem huius actionis, explicandam occupabimur. Deinde actionem ipsam contempnemur, et quid potissimum eadem experituro probandum sit, nec non quomodo ab aliis nonnullis actionibus differat, videamus, tum eius usum in foro hodierno vindicare, eandemque ad alios, nautis, cauponibus ac stabulariis non ab similes, haud friuole extendi posse, docere adnitamur. Postremo casus enarremus, ubi locus actioni praedictae denegatur.

§. 5.

Cum igitur dictum sit, obligationem nautarum, cauponum ac stabulariorum ad res receptas restituendas, actionemque, quae propterea aduersus eos competit, proficisci ex receptione, praemonendum erit, ne forte obscuritatis in scribendo admissae arguamur, qui significetur sub nautis, cauponibus ac stabulariis, item quae sit receptio. Quarum vocum significationes ipse praetor nobis concinne explanat, ^{a)} *nautam*, dicens, hic accipi pro eo, qui nauim, *cauponem* pro eo, qui cauponam, *stabularium* denique, pro eo, qui exerceat stabulum. At vocabulum *exercere* varios ^{b)} pro adiuncto verbo significatus recipit, inter quos ille huius loci est, quo *suscipere aliquid* significat, quaestus inde habendi gratia, quemadmodum etiam haec vox in tot. tit. D. de exerc. act. accipitur. Et profecto in omni re, etiam litteraria, nulla est ad lucrum commodior via, quam exercendi et tractandi. ^{c)} *Recipere* autem quid nobis hoc loco sit, prae aliis egregie

a) in c. l. 1. §. 2. naut. caup. cet.

b) Caluin. Lex. Iur. sub v. *exercere*.

c) Id. *ibid.*



egregie mihi quidem definire videtur Helfeld: ^{d)} putans, vocem illam hic nihil aliud denotare, quam *id negotii in se suscipere, ut alterius res, ad nos delatae, saluae sint*. Recipere ergo nobis hic idem est, quod *cauere*, quo sensu illud verbum in iure ^{e)} accipi, haud infrequens est.

§. 6.

Quibus praemissis facile intelligitur, fundamentum actionis de receptis reponi in receptionis facto, ex quo ipsa lex praesumit, obstrinxisse recipientes sese ad custodiam rerum receptarum exactissimam, earundemque restitutionem. Quocirca cum ipsa lex hic recipientes consensisse fingat, hique vel citra intentionem suam ex hac receptione obligentur, nulli dubitamus, quin cum aliis, iisque plerisque, hanc obligationem recipientium ex *quasi* contractu nasci dicamus, ipsamque receptionem in nauim, cauponam, vel stabulum, per *quasi contractum* definiamus, quo quis alterum eiusque res recipiendo ei obligatur, ad illas res exalte custodiendas eademque saluas restituendas. A qua communi opinione, quae certe plerisque probatur ^{a)} discedere videmus Helfeldum ^{b)} existimantem, *tacitum* consensum huius obligationis et ex ea dimanantis actionis esse, siquidem nautae, caupones, et stabularii dum suam exercent professionem, ipso facto securitatem promittant, quam per illationem rerum intendunt peregrinantes. Adesse igitur vtriusque consensum facto

A 3

decla-

^{a)} in iurispr. for. sec. ord. ff. propol. §. 486.

^{e)} Sic sumitur Vlpiano in tit. D. de act. emt. vend. Similiter recipere periculum denotat *cauere de periculo*. l. 1. ff. de adm. tut. Idem significatus illi verbo tribuitur in l. 5. ff. naut. caup. cet.

^{a)} Hein. in D. P. 1. §. 547. Berg. O. I. lib. 3. tit. 8. et Richter. de actione in factum ex quasi contractu receptionis.

^{b)} c. l. §. 486.



declaratum, qui conuentionem tacitam constituat. Cuius viri sententia, vt recte possit ponderari, opus est, vt discriminis illius, quod inter tacitos, et quasi, qui vocantur, contractus, intercedit, pro chartae angustia breuiter iniiciamus mentionem. Neque enim angusti limites huius libelli permitterent nobis tam latum campum exspatiari, omneque conuentionum inter se discrimen exponere, quod ipsum insuper ab instituto alienum foret. Memoremus ergo ea sola ex amplo doctrinae de conuentionibus ambitu, quae quaestionis propositae diiudicationem faciliorem reddere, videntur.

§. 7.

Sunt quidem nonnulli, qui contractus tacitos cum quasi contractibus confundunt, ^{a)} alii plane singularem sibi de iis notionem formant; ^{b)} plerique tamen, certe accuratiores ^{c)} illos ab his probe seiungunt, probe gnari veri illius discriminis, quod inter hos ac illos intercedit. Quibus accedimus hunc in modum hac de re iudicantes: Conuentione nimirum alterum alteri obligari, neminem fugit, ista vero valida esse, imo cogitari nequit, nisi adit *consensus*, quem sufficienter *declaratum* esse oportet. Ab hoc diuerso modo consensum declarandi de prompta est diuisio

a) vt Pagenstecher. in Disp. de pactis tacitis, Hammon. 1726. th. 6. vbi scribit, exemplum pacti, praesumpto consensu constantis, esse in l. 2. pt. D. de pact. quod vero magis tacitae, quam quasi conuentionis exemplum est.

b) vt Höpfner im theoretisch-praktischen Commentar über die Heineckischen Institutionen pag. 174. qui sibi imaginatur ex omnibus quasi contractibus solam negotiorum gestionem praesumpto consensui inniti.

c) ad quos pertinet Hopp. in Comment. ad Inst. p. 711. n. 1. Lautens. Diff. de accurato discrimine inter consensum expressum, tacitum ac praesumptum, Erfördi 1720. Cui et ipse Hoepfn. accedit in iur. natur. lib. 1. sect. 2. cap. 2. §. 68.



diuisio contractuum in *expressos, tacitos ac praesumptos*, prouti consensus vel *verbis*, vel *factis*, ex quibus animus contrahendi seque obligandi liquido colligi potest, quaeque pro signis cogitationum atque consensus recepta sunt, declaratur, vel tandem citra factum, consensum declarans, ab *ipsa lege* inducitur. Quapropter quasi contractus siue *praesumpti* ii sunt, qui *vi consensus, a lege inducti, efficacem obligationem producant*, multumque differunt a tacitis, quos quippe semper praecedant, necesse est, tractatus quidam inter contrahentes, quibus deinde accedat consensus factis declaratus, cum ex aduerso praesumpti contractus fundamentum non in partium conuentione, et facto, quod testimonio sit, alterum consensuisse, sed in ipsius legis fictione quadam reponendum sit, adeoque ille vel *inuitos* obliget. ⁴⁾ Quoniam tamen lex obligationem imponit non directe, sed mediate, praecedente scilicet facto, ex quo consensum praesumit, ⁵⁾ eoque *licito* ⁶⁾ obligatio ista *quasi ex contractu venire* dicitur Imperatori, ⁷⁾ quippe quae occasione *facti liciti* a lege inducitur, adeoque propius accedit ad naturam contractuum, quam quidem maleficiorum, nihilominus tamen a communi conuentionum natura aberrat in eo, quod citra consensum verum ac intentionem se obligandi alter alteri obligetur. Apprime igitur appellatio *quasi contractus* huic rei conuenit, utpote quae particula similitudinis eiusdem, improprietas tamen simul nota est.

d) Pro adminiculo dignoscendi veros contractus a praesumptis notari posset regula: *Vbi quis obligatur ex facto citra intentionem se obligandi, ex quasi contractu obligatur*, vbi vero id, *ut obligetur agit, verus adest contractus*. Factum vero illud, vel eius, qui inde obligatur, *proprium* esse potest, vel etiam *alterius*, vel *commune*, quemadmodum cuiuslibet diuersorum quasi contractuum naturam ponderanti sine difficultate constabit.

e) Sebachii *Diff. de fontib. obligat.* Cap. 1. § 5. Vit. 1705.

f) alioquin enim pertineret ad obligationes ex delicto.

g) in *pr. I. de oblig. qv. qu. ex contr.*



est.^{h)} Quae si adplicemus ad receptionem in nauim etc. in apri-
co est, eam quasi contractuum indolem magis redolere, quam
ad tacitos referri posse, siquidem receptio tale factum dici ne-
quaquam possit, ex quo appareat animus recipientis, se ad re-
parationem damni, vel citra culpam suam accidentis, obligan-
di; haec potius obligatio soli legis fictioni adscribenda sit. Ne-
que obstat, quod in tit. I. de obl. qv. qv. cet. nulla huius rece-
ptionis mentio fiat, cum praeter d. t. laudatos, alii complures
quasi contractus dentur, ibidemque memorati tantum exempli
causa adferantur.ⁱ⁾

§. 8.

Sed his missis actionem ipsam adeamus, in qua explicanda
in praesens occupamur. Vocatur ea *de recepto*,^{a)} et cum per
supra dicta descendat ex quasi contractu, et ex beneficio pro-
ficiscatur praetoris, intelligitur, eam esse *actionem praetoriam per-
sonalem*, quae datur *hospitibus passiuus, eorumque heredibus, aduersus
hospites actiuos et heredes, ad res receptas restituendas, damnaque, si fue-
rint in deterius mutatae, refarcienda*. Ex qua huius iudicii descri-
ptione patet, de quibusnam probandis eum, qui hac actione ex-
periri secum constituit, oporteat esse sollicitum. Ante omnia
videlicet *ipsum cauponariae professionis exercitium in libello exprimi
debet*. Deinde *receptio*, tanquam fons obligationis proximi,
porro

h) Vinn. ad d. pr. l. 1. solut. matr. l. 2. §. 2. eod.

i) Cocc. in iur. controu. lib. IV. Tit. IX. qu. I. Hain in pand. P. 1. §. 362.

a) de nomine huius actionis dissentiant inter se eruditi. Leyf. quidem sp. 66.
m. 1. eam vocat *de receptis*, quam propterea reprehendit M. G. Wernh. le-
stiff. commentar. ad D. lib. IV. Tit. IX. §. 5. *de recepto* dicendum existi-
mans. Ita quidem etiam vocatur in l. 3. §. vlt. naut. caup. Nihilominus su-
peruacaneam arbitramur hanc correctionem, illamque Leyf. appellationem
tolerandam censemus, quin imo eadem sere commodior nobis videatur. Re-
cte etiam vocatur actio *in factum* cum Heli. §. 494. id est: ex aequitate
profecta. Homm. Rh. obf. 537.



porro *damnum perpeffum*, eiusque rerumue illatarum *quantitas*, postremo exercitoris *scientia* de rebus illatis, probanda veniunt. De quibus singulis nunc agamus sigillatim.

§. 9.

Ante omnia ergo ab eo, qui hoc iudicio experiri decrevit, in libello adducendum est, cauponem iure sibi competente vti, actuque artem, quam profitetur, exercere. In ipso enim cauponariae professionis exercitio fundamentum actionis de rebus actis ponitur, quo deficiente ipsa actio cessat, vti infra pluribus dicetur. Allegandum igitur est exercitium cauponae, nauis, stabulivae, quod etiam negatum absque dubio probandum foret, qua probatione tamen plerumque superfedebit actor, propterea quod hoc factum adeo peruulgatum plerumque sit, vt nulla omnimodo probatione indigeat.^{a)}

§. 10.

Deinde quantum receptionem concernit, sufficit, si probetur, res illatas ac receptas esse, nihilque interest, num ab exercitore ipso, an ab iis, quibus id negotii, vt *reciperent hospites, datum est*,^{a)} res receptae fuerint, ^{b)} cum quod quis facit per alium, ipse

a) arg. c. I. X. de postul. praelator.

a) Quo pertinent *navium magistri ac institores*, itemque *dietarii*, l. 1. §. 2. 3. et 5 ff. naut. caup. non vero famuli ad alia negotia, quam ad recipiendum destinati, vti sunt *reniges, mesonautae ac mediafiani*, vt *atrarii, focarii*, hisque similes. l. 1. §. 2. et 5. eod. Quibus si *sciens*, eos facultate recipiendi instructos haud esse, dederit, resque commiserit, eorum fidem securus esse videtur, atque adeo actio contra exercitorem cessat. M. G. Wernh. c. l. §. 5. et Str. U. M. tit. naut. caup. §. vlt. Interim, si ipse exercitor alicui huius generis ministris res committi iussit, sine dubio tenebitur, l. 1. §. 2. in f. eod.

b) cit. LL.



ipse fecisse intelligatur. ^{c)} Simili modo res receptae censentur, siue *expresse* recipiantur, siue *tacite*, id est, si easdem inferri, exercitor, vel qui vices eius sustinet, scientes patiantur. Patientia enim horum, res immitti, loco receptionis est, iique recepisse intelliguntur, si easdem in cauponam cet. inferri passii sint, etiam si iis specificae adsignatae haud fuerint. ^{d)} Cum exemplum esset perniciosissimum, si caupones non tenerentur de periculo bonorum, quae suscipiant, nisi ea iis ostenderentur, multis quippe inde immineret periculum vitae, multique exponerentur infidiis latronum aliorumque. ^{e)} Nec minus actio de recepto locum sibi vindicat, licet *gratis* caupo receperit hospitio aduenas resque eorum, ^{f)} nisi tamen fuerit protestatus, se teneri nolle. ^{g)} Qualis protestatio omnino suo non caritura esset effectu, quoniam efficeret, ut recipiens non tanquam caupo, sed ut amicus videretur recepisse. Interim arctius obligari cauponem accepta mercede non inepte statuitur. ^{h)} An vero etiam ad damnum, a famulo, diurna mercede conduci solito, viatoribus commendato reparandum, actione de receptis conueniri queat commendans caupo, quaestio est, ad quam diuersimode respondent eruditi. Leyserus ⁱ⁾ quidem hoc quoque casu actioni praedictae locum vindicare vult, aduocata pro tuenda sua opinione lege 1. pr. ff. naut. caup. cet. Sed tantum abest, ut hac lege eius opinio firmetur, ut potius eadem huc profusus non quadret, quemadmodum M. G. Wernh. ^{k)} aduersus eum recte

^{c)} l. 1. §. 1. D. de eo, per quem fact.

^{d)} l. 1. §. 8. D. naut. caup. cet. Leyl. sp. 66. m. 7.

^{e)} laud. Kestner. Disp. de iur. peregr. Th. XIII.

^{f)} l. 6. pr. naut. caup. cet. ^{g)} cit. Disp. eod. l.

^{h)} l. 2. 40. loc. cond. adde l. 5. ff. naut. caup. cet. quae ipsa rationem reddit, cur teneantur recipientes, licet mercedem non accipiant. vid. quoque Carpzou. p. 2. c. 26. d. 10.

ⁱ⁾ spec. 66. cor. 2.

^{k)} in leßliff. commentat. ad D. IV. IX. §. 6.



recte obseruat. Quum enim caupo nihil receperit, nec in eum cadere potest laudatae legis dispositio, neque obligari ad restituendum potest, cum receperit nihil. Obligabitur ergo caupo potius ex sola sua commendatione ad damnum a famulo commendato datum, reparandum. Obligari autem ex hac commendatione cauponem, vel ideo dubitari nequit, quod ex consilio, vel commendatione eius, qui ad consulendum commendandumue de iure est obligatus, firma nascatur obligatio, ad eos vero, quibus commendandi necessitas incumbit, etiam referantur, qui publice profidentur artem, ¹⁾ quorsum merito etiam caupones retuleris.

§. II.

Praeter haec adducta, quae probari debere, diximus, doceri etiam debet *scientia* exercitoris, aut eius vices sustinentis, res illatas esse. Quum enim illi obligentur ex receptione, haecque sit fundamentum actionis, ex qua scilicet lex consensum in custodiam ac restitutionem rerum illatarum inducit, receptio autem absque facto quodam, vel saltem patientia, quae loco facti in hac materia est, non possit cogitari, talique modo ignorans *recepisse* dici nequeat, cessante facto, quod obligationem parit, hanc ipsam cessare, a nemine non intelligitur. *Scientiae* igitur omnino mentio facienda est, eademque ab eo, qui in ea se fundat probanda, cum illatio sit facti alieni, cuius ignorantia ²⁾ praesumitur. Neque tamen propterea aduenae incumbit obligatio denunciandi cauponi eiusue infitori rerum illationem, sed sufficit probasse, cauponem res illatas esse sciuisse, aut

B 2

certe

1) Lauterbach. de consiliis P. II. cap. 1. §. 6. Quamuis alioquin consulens, vel commendans de malo consilii, vel commendationis euentu regulariter respondere non teneatur, l. 47. ff. de R. I. l. 7. §. 10. de dol.

2) l. 2. ff. de iur. et fact. ignor. et c. 47. de R. I. in 6to.



certe facile potuisse comperiri. ^{b)} Nihil enim interest, expresse, an tacite res receptae fuerint, quemadmodum monitum est iam supra.

§. 12.

Quin porro probandum sit, damnum datum, furtumve factum esse, dubio subiacere non potest, cum utrumque facti sit. ^{a)} Similiter damni, amissione rerum, earumve depravatione perpeffi, *quantitas*, si in dubium vocetur, docenda est, quae tamen saepius actori non suspectae fidei iureiurando manifestanda committitur, quod vocant in *litem*, ^{b)} ad quod tamen, cum species sit iurisiurandi suppletorii, deficiente omnimoda probatione, actor admitti nequit. ^{c)} Porro probanda est ipsa *qualitas rerum tempore receptionis*, earundemque verum *pretium*.

§. 13.

Culpa vero exercitoris accidisse damnum, ut probetur, necessitatis non est, ^{a)} quandoquidem damnum quodcumque, merito casui fortuito non adscribendum, actio de rebus perceptis persequatur, ^{b)} quem ipsum probare recipientis est, ut ex infra dicendis patebit. Nec, ut *auctor damni* in libello laudetur ac demonstretur, opus est; a quocumque enim damnum fuerit datum,

^{b)} ut bene monet Wernh. P. VIII. obs. 320. contra Leyferum in iure georg. lib. 3. cap. 19. def. 50.

^{a)} l. 2. C. de probat.

^{b)} Leyf. sp. 66. m. q.

^{c)} Wernh. p. 8. obs. 321. Similiter quoque probationem illationis rerum, si quidem ea semiplena probata fuerit, iureiurando suppleri posse, arg. l. 3. ff. de iureiur. tradit Str. S. I. C. Ex. VIII. th. 109. lit. E.

^{a)} l. 1. §. f. l. 2. l. 3. pr. et §. 1. D. naut. caup. cet.

^{b)} c. l. 3. §. 1.



tum, siue is fuerit hospes, siue inquilinus, siue famulus exercitoris, nostrae non denegatur locus actioni, cum ratio *) ob quam praetor hanc actionem introduxit: ne videlicet cauponnes cum furibus ac latronibus conspirent, horumque auxilio, sub colore infortunii, cuius auctores ipsi non existant, in perniciem eorum, quos exceperunt hospitio, moliantur, vel ipsi iis vim inferant, non minus accommodari possit damno ab alio, quam ab hospite dato. Sic igitur perinde est, quisnam damni dati extiterit auctor, cum omne damnum, quod auctorem aliquem habet, in hac saltem doctrina fortuitum non iudicetur, de omni vero damno non fortuito teneatur recipiens.

§. 14.

Cognita ergo vera huius actionis indole, discrimen, quod inter hanc, aliaque huic actioni quodammodo affinia iudicia intercedit, sese nobis ob oculos ponit. Quae iam nobis commemoranda veniunt, idem videlicet titulus D. qui edictum praetoris, quo actio proponitur de receptis, aliam adhuc actionem, quae poenalis est, et in duplum datur eo casu, si damnum datum fuerit in caupona cet. ab inquilinis, vel ab iis, quorum ministerio vititur recipiens, nobis sitit. Est haec actio, pariter, ac ista de receptis actio *praetoria, personalis, quae datur hospitibus actiuis, eorumque heredibus, aduersus recipientem, ad duplum damni ab inquilinis, iisque, quos sponte sibi ministros et adiutores elegit dati restituendum.* Quae quidem actio, licet ex eodem descendat praetoris edicto, quo nostra de receptis, ab hac tamen ipsa multifariam discrepat. Quas differentias, vt quasi in compendio proponamus, principalis tantummodo differentiae iniciamus mentionem, ex ipso diuerso obligationis fonte pro-

B 3

fluentis,

e) l. 1. §. 1. eod.



fluentis, et ex qua reliquae propemodum omnes ita pendent, ut sine difficultate statim in oculos incurrant. Oriuntur ergo actiones ambae, eodem praetoris edicto propositae, ex fonte plane diuerso. Prior enim, utpote ex facto licito dimanans rem solam persequitur, simploque eiusdem pretio restituito, itidem damno reparato contenta est, at haec posterior ex quasi maleficio descendens, duplum damni dati persequitur. ^{a)} Ex culpa enim oritur, ^{b)} adeoque poenae locus non denegatur, quod in actione de receptis secus est. Hinc intelligitur, heredibus quidem laesi utramque actionem dari, at contra haec, utpote poenalis, aduersus heredes exercitoris moueri ^{c)} nequit, cum nemo alieni delicti successor sit, cum ex aduersus actio de receptis contra heredes quoque recte instituitur. ^{d)} Et quum haec in duplum actio ex quasi maleficio descendat, facile perspicitur, eam non aliter locum habere, quam si eorum, quorum facta nobis imputantur, culpa, aut dolus effecerit, ut damnum perpeffi sint hospites, quales sunt inquilini et famuli; at illa semper sibi locum vindicat, omneque damnum, praeterquam fatale persequitur, a quocumque datum fuerit, adeoque longe latior patet, quam quidem ista poenalis. Postremo etiam hoc discriminis inter utrumque iudicium intercedit, quod de receptis actio obtineat, licet res in nauim, cauponam, vel stabulum vere illatae nondum sint, simulac exercitor de iis inferendis certior fuerit redditus, ^{e)} poenali autem in factum actioni locus relictus non sit, nisi ipsa earundem secuta fuerit illa-

^{a)} l. vlt. §. 1. naut. caup. cet. §. vlt. l. de oblig. quae qu. ex del. etc. l. vn. D. furti aduersus naut.

^{b)} in ieo commissa, quod malorum hominum vsus fuerit ministerio, l. 5. §. vlt. D. de O. et A.

^{c)} l. vlt. §. vlt. ff. naut. caup. §. 3. l. de obl. quae qu. ex del.

^{d)} Vl. 3. §. 4. eod. conferri hic meretur Leyf. sp. 66. m. 4.

^{e)} quemadmodum intelligenda est l. 3. pr. ff. naut. caup.

illatio, adeo, vt recipiens ob damnum *extra* nauim, cauponam, stabulumue datum, licet in ipsi, quos ministros sibi elegit, derint, conueniri non possit.¹⁾

§. 15.

Praeter hanc in duplum actionem, nonnullae aliae dantur, quae parem in modum a nostra actione diuersae, eidem tamen aliquatenus affines sunt. Quo pertinent actiones depositi et mandati directae, nec non commodati actio. Quarum quidem omnium quaedam est similitudo, cum ea, quam nos iam contemplamur, saepius laudata de receptis actione. Pariter enim ac haec illae rei restitutionem damnique dati reparationem intendunt; attamen intuitu culpa probandae ab actione de receptis recedunt, siquidem eas instituens diuersi gradus culpam, ab eo admissam, quem conuenit, probet, necesse est; at qui de receptis agit, nec de culpa rei, nec de auctore damni probando sollicitus est, sed solum receptionem rerum damnunquae datum, si docuerit, suo satisfecit officio. Praeterea in actionibus praedictis paterfamilias de damno a familia feruorumue incuria aut malitia dato non respondet, bene vero in actione de receptis.²⁾

§. 16.

g) l. 7. pr. eod. Hoc tamen singulare est in actione ista poenali, qua duplum damni dati, reue amissae persequimur, quod cum actiones praetoriae poenales alioquin anno deleantur, haec nihilominus perpetua sit, adeoque in hoc cum actione de receptis eiusdem plane naturae sit, l. 7. §. 6. D. naut. caup. Similiter licet sit actio poenalis, tamen contra plures non datur in solidum, sed pro parte, qua nauem, cauponam, stabulumue exercent l. 7. §. 6. naut. caup.

a) Leyf. spec. 66. m. 1.



Ex his, quae hactenus disputata sunt, cuilibet de vero huius receptis actionis indole ac natura, spero, constabit. Iam hac ipsa breuiter examinata cognitaque, circa ipsum actionis pluries memoratae usum in foro hodierno vindicandum occupemur. Quod quidem absque magna difficultate fieri posse arbitramur. Imo ne opus quidem erit, ut in hac quaestione probanda desudemus, cum eiusdem asseuerationi non modo regula ista iuris et rationis, quodcumque sublatum non, illud stare non, prohibetur, praesidio sit, sed et pro eadem ipsa iuris Romani receptio in suo complexu ac generatim facta militet, quae saltem efficit, ut ab onere probationis in nos recipiendae subleuemur, idemque deuoluatur in eos, qui usum huius actionis negauerint, quibus profecto probatio incumberet assertionis in eorum negatione latentis: lege scilicet patria derogatam fuisse praetoris edicto, aut actionem, quae inde proficiscitur, desuetudine innumbratam esse, cum donec vnum ex his probatum fuerit, praesumptio sit prae valore legis Romanae. Quorum autem alterutrum tantum abest, ut statui possit, ut potius scriptores fide digni de eiusdem actionis obseruantia frequentique in foro usu luculenta nobis perhibeant testimonia. ^{a)} Accedit, ipsum publicae securitatis ac salutis emolumentum, cuius quidem promouendi haud facile aptius adminiculum erit, quam id ipsum, quod praetor nobis, introducta actione de receptis, suppeditauit. Quae cum ita sint, merito nobis miraculo est, quod non desint permulti, ^{b)} qui actionis mox memoratae usum in dubium vocare non vereantur, quibusque ad probandam adsertionem suam vel vnica haec ratio, leuioris profecto ponderis: nimirum hodierno

^{a)} Str. in U. M. ff. lit. naut. caup. §. 1. Str. de act. inuest. S. 1. Membr. IX. §. 34. Schaumburgs Einleit. zum Sächsl. Rechte, S. II. Ex. X. §. 10.

^{b)} nominati a Leysero spec. 66. m. 1. 2.



diernorum cauponum non tantam esse improbitatem, quam quidem Romanorum illorum, sufficere videtur. Quae ratio quidem, licet assumeretur pro vera, nulla tamen fere digna foret refutatione, utpote quae veritatem adfertionis nostrae ne minima quidem ex parte infringere vellet. Et si enim largiremur, mores cauponum non adeo peruersos scelestosque amplius esse, quam fuerint olim apud Romanos, longe tamen festinarius inde concluderetur, vim edicti praetorii actionisque inde dimanantis, tanquam a moribus Germanorum alienae, extinctam esse, cum utilitas huius actionis tam late pateat, ut cuilibet, cuiuscunque demum constitutionis, reipublicae non possit non prodesse, siquidem non deterreat modo, qui peregrinantibus hospitium praebent, ne furibus ac latronibus sese associent, verum eosdem quoque excitet ad exactiorem rerum, quas receperunt, custodiam, talique pacto multis machinationibus ac molimentis, reipublicae perniciosis, via praecludatur, quod ut lege efficiatur, boni legislatoris cura sit. ^{c)} Nec dici potest, cessante malitia in cauponis hodiernis, cessare ipsam legis dispositionem. Haec enim ratio non est adaequata, sed mouens; illa enim est factum receptionis et professio publica custodiae ac securitatis, quae ratio manet, licet causa mouens esset. Insuper vero etiam id ipsum, quod pro vero assumunt, minorem videlicet hodie esse cauponum improbitatem, petitioni, ut logici loqui amant, principii superstructum est, cum non desint, qui autument, illorum assertioni, quam veram iactitant, experientiam aduersari quotidianam. ^{d)}

§. 17.

c) prooem. de const. de confirm. Inst.

d) quod contendunt Leyf. sp. 66. m. 2. et Kloch in Tract. de aerar. lib. 2. cap. 8. num. 34 seqq. Imo si ponderemus LL. Electorales Saxonicas, quae de cauponibus, quantum quidem huc spectat, disponunt, eae ipsae luculenter commoustrant, earum conditores serenissimos non nimium fiduciae collocare in

C

dexte-



Vindicato ergo actionis nostrae usu forensi, vterius progredientes demonstrare conemur, extensionem etiam admitti praetoris edictum, *utique* de receptis actioni, aduersus alios quosdam, in edicto nominatis non absimiles, locum non denegari. Personae autem, quae cum iis, de quibus praetor edixit, comparari possunt, inprimis sunt veredarii publici, et, qui apud quoscumque moratiores populos conspiciuntur, postarum magistri. Equidem non ignoro, dari permultos, qui edictum hoc contra nautas, caupones ac stabularios propositum, tanquam, ex eorum certe opinione, ius singulare ac exorbitans, extendi aegre ferant.^{a)} Non tamen dissentientes isti omnes eiusdem farinae sunt, sed alii ad veredarios modo^{b)} non applicari posse edictum, autumant, contra alii longius progrediuntur, ne ad postarum quidem magistratos illud extendi posse, sibi aliisque persuadere student.^{c)} Isti priores concedunt, ipsos postarum magistratos, ipso comprehendi edicto, quod stabulariorum mentionem iniicit, siquidem stabula Romanis fuerint receptacula in cursibus publicis animalium publicorum, adeoque ne opus esse vlla extensione, cum, quod olim fuerint stabularii, hodie sint

dexteritate ac fide cauponum, potius, cum ipsam recipiendi licentiam ex parte cauponum restringendo, tum magistratibus inspectionem in eos sedulo commendando, ut illis omnis peccandi occasio intercipiatur, summa ope adniti, non minus quidem, ac olim legislatores Romanorum. conf. Mand. d. d. 17 Ian. 1566. inv. in C. A. I. pag. 1508. Ord. Pol. d. a. 1661. Tit. 12. §. 5. Mand. d. d. 16 Septemb. 1710. (I. pag. 1869.) Conf. d. d. 7 Febr. 1719. (I. p. 1788.) et Mand. d. d. 17 Iul. 1719. (I. p. 1900.) Insuper plerique pugnant pro usu actionis de receptis, tantumque usum illius actionis in factum poenatis negant, quem vero etiam vindicauit Berg. in Diss. de usu act. poen. §. 37. n. 4. Viteb. 1705.

- a) arg. c. 28. de R. I. in 6to, l. 15. et seqq. ff. de leg. 141. pr. ff. de R. I.
 b) Huc pertinent Schilt. in exercit. ad ff. ex. 12. §. fin. Müller. ad Stru. Ex. 8. §. 106. lit. S. et Philippi Disp. de rhd. meritiariis, Lips. 1720. c. 4. §. 4.
 c) vt Lanterbach. in Tr. Synopr. de naut. caup. stabular. §. 34.



postarum magistrī. At enim vero, si vel non contineantur magistrī postarum sub stabulariorum appellatione, nihilominus ad eos recte fieret extensio laudati praetoris edicti, neque minus ad veredarios pulicos. Qua in re probanda, cum admodum exigui ponderis sint aduersariorum argumenta, facilem et explicatam causam habebimus. Argumenta autem, quibus assertionem suam fulcire student dissentientes, quaeque nobis Stryck. ^{d)} et Philippi, ^{e)} et laudatus Lauterbach. exponunt, huc omnia redeunt: 1) aurigarum mentionem nullam fieri in titulo D. naut. caup. ^{f)}; 2) actionem de receptis singulari iure in odium nautarum cet. introductam esse, 3) neminem veterum ICtorum, qui ex professo Tit. D. naut. caupones sibi explicandum sumserint, huius extensionis, ne verbulo quidem cogitare. Enimvero si perpendamus, primo non solis legum verbis inhaerendum, sed potius rationem earum probe esse inspiciendam, rationem vero, cur de nautis, cauponibus atque stabulariis ita edixerit praetor, quoniam nempe eorum fidem sequi resque custodiae illorum committere, nulla praestita cautione, peregrinantes, in veredariis publicis ^{g)} ac postarum magistris eandem prorsus esse, exempla vero adducta legem non restringant, sed tantum declarent, ^{h)} actio porro de receptis, quemadmodum saepius monuimus, securitatis utilitatisque publicae causa introducta, odiosa dici non possit, ⁱ⁾ sed maximum potius fauorem mereatur, ad hoc sententia nostra ipsis legibus ^{k)} egregie adiuuetur,

C 2

prae-

d) in Tr. de act. inuest. c. l. §. 35.

e) in laud. Disp. l. c.

f) in l. 1. §. 2 seq. D. naut. caup.

g) Non vero ad aurigas priuatos, Carpz. p. 2. c. 26. d. 19. nec ad vinarias, vel cereuisarias tabernas exercentes, trahi potest actio. Menck. ff. IV. IX. 3.

h) Hahn ad Wesenb. lit. de LL. n. 8.

i) Leyf. sp. 66. m. 3.

k) l. nimirum 1. §. 4. ff. naut. caup. vbi quod de nautis dictum, ad exercitores ratiarum ac lintrarios extenditur; et l. 14. §. vlt. in f. D. de furt. vbi *similis causa* dicitur esse eius, qui rem perferendam accepit, quam cauponis et magistrī nauis.



praeterea id, quod nonnulli dissentientium de postarum magistris concedunt, etiam ad aurigas publicos pertineat, ^{l)} postremo numerus eorum, qui pro usu actionis de receptis eiusdemque ad postarum magistris et aurigas publicos extensione militent, numerum negantium longe superet, ^{m)} haec extensio merito non dici potest, nisi iustissima, mirandumque est, aduersae sententiae patronos non vereri, ne iustitiam eius in dubium reuocent.

§. 18.

Ad haec accedit, passim apud scriptores iuris ciuilibus praedicta reperiri, ubi diuersorum dicasteriorum assessores in hanc sententiam pronunciarunt, atque aurigas publicos et postarum praefectos in receptorum rerum restitutionem condemnarunt, quemadmodum apud Leyserum, ^{a)} Strykium ^{b)} aliosque legitur. Et quum frequenter laudatum edictum praetoris ex eoque descendens de receptis actio ad similes casus, ubi par ratio deprehenditur, ad ductum ipsius legis *l. §. 4. naut. caup.* recte extendatur, nemo erit, qui non intelligat, illud quoque, quod Vlpianus ^{c)} de rebus in nauem nondum, illatis, receptis tamen, acque ac illatis, restituendis scribit, ad postarum magistris ac veredarios publicos, eosque, quorum utuntur opera ac ministerio, pertinere, adeoque nihil referre, siue damnum in via, siue, antequam merces currui imponerentur, datum sit, ^{d)} eosque nihilominus ad illud reparandum teneri. ^{e)} De casu tamen non respondent, quem quippe, ut mox dicetur, actio non persequitur de receptis. A cuius etiam praestatione postarum magistris

l) c. l. Leyf.

m) id. ibid.

a) c. l.

b) in Tr. de act. inuest. c. l. §. 37.

c) l. 3. pr. De naut. caup.

d) M. G. Wernh. c. l. §. 5.

e) Wernh. obs. for. P. II. obs. 4.



gistros legibus Saxonis *f*) absolutos cernimus, licet iis eadem feure inculcent, vt omni ex parte securitati iter facientium, et conseruationi rerum custodiae eorum, concreditarum, inuigilent, quantumque in iis positum sit, damna auertant, caueantque ne res receptae perdantur.

§. 19.

Superest, vt causas memoremus, ob quas actioni nostrae de receptis *locus denegetur*, qui ex ipsa eiusdem indole, supra explanata, perquam faciles intellectu sunt, quamuis variae sint ac multiformes. Earum enim nonnullae ex *ipsa rerum receptione huic actioni aduersa*, proficiscuntur aliae in *culpa illius*, qui damnum est perpeffus, aliae porro in *pacto de non praestando damno*, aliae tandem in *causa damnum efficiente*, fundamentum suum habent. Sic actio nostra non pertinet ad eos, qui artem non exercent cauponariam, ad quos quippe ratio legis nequaquam applicari, nec fictio consensus, quae artis professione innititur, locum habere potest. Similiter nec ipsi caupones, *tanquam amici*, quempiam forte recipientes, hac de receptis actione, sed ordinariis potius

f) Huc pertinent Reglement d. d. 14. Ian. 1712. §. 6. 7. Ord. Port. d. d. 27 Jul. 1713. §. 41. 42. 52. Avertissement d. d. 29 Nov. 1710. Quae LL. diferte determinant, quid postarum magistris circa rerum ab iter facientibus illatarum receptionem, custodiam, ac transportationem, obseruanda sint. Eaedem de nouo inculcatae sunt per Ord. Cur. rei curfor. d. d. 13 Febr. 1730. d. d. 21 Octobr. 1744. et d. d. 8 Sept. 1756. et d. d. 8 Maii 1749. Ord. Port. d. d. 27 Jul. 1713. §. 44. et Mand. d. d. 20 Aug. 1720. Quantumuis vero ab omni non vacui sint culpa, subsidiaria tamen est eorum obligatio ad res deperditas restituendas, nec tenentur prius, quam si res aliunde recuperari, vel verus auctor damni detegi nequeat. cit. Mand. Tenentur vero praefecti postarum *omnes*, in eo constituti itinere, quo damnum accidit, ibid. Quodsi vero in posta publica, cuius plures stationes a diuersis magistris reguntur, damnum datum fuerit, non primus recipiens, sed is, cui culpa aliqua potest imputari, tenetur. Leyf. sp. 66. m. 6. Similiter magister postarum non obligatur ad restituendas res, *scribae postarum* traditas, nisi huic dederit recipiendi potestatem, Leyf. sp. 66. cor. 1. arg. l. 1. §. 2. nau. caup.



potius ac communibus actionibus, v. c. depositi, conueniendi erunt, ^{a)} siquidem simulac exercitium cauponae quaesitus gratia cesset, haec ipsa actio cesset, necesse sit. ^{b)} Parem in modum receptio ab illis, quibus recipiendi potestas non data est, facta, hanc non producit actionem. ^{c)} Quemadmodum etiam si ipse nauta, caupo, vel stabularius, quid perdidit, damnumue passus fuerit, edictum praetoris ipsi haud profuturum est, ^{d)} quod etiam merito dicendum de iis, qui ordinarie in diuersorio habitant, quoniam actio de receptis in solorum iter facientum fauorem introducta est, atque ratio reddita in l. 1. §. 1. naut. caup. ad hos non quadret. ^{e)}

§. 20.

Et quum is, qui damnum sua culpa sentit, illud non sentire videatur, ^{a)} palam est, eos non gaudere de receptis actione, quos propria ipsorum culpa damno adfecit. ^{b)} Sola vero clauium traditio, ut hospes damnum sua sensisse culpa dici possit, non efficiet, talique modo exercitorem, ab obligatione restituendi, secundum certe veriore, quam et plerique amplectuntur, opinionem, haud liberabit, ^{c)} et a qua Berlichius, ^{d)} quod recedat, non habet.

§. 21.

Tertio pactum contrarium, seu de non praestando damno, inter recipientem et hospites initum, illum ab obligatione innumem

^{a)} Hopp. ad Inst. p. 810. n. 1. arg. l. 7. quemadm. test l. 54. de R. V. l. 5. §. 13. de his, qu. vt ind. l. 29. ex qu. cauf. mai.

^{b)} ICti Tub. Vol. I. conf. 116. l. 3. §. 2. naut. caup. ^{c)} l. 1. §. 2. ff. naut. caup.

^{d)} l. 7. §. 2. eod. Caupo vero iter faciens aduersus alium eodem iure vitur, l. 4. §. 1. eod. ^{e)} Lud. D. ff. IV. IX. 2.

^{a)} l. 205. ff. de R. I. ^{b)} Culpa autem a recipiente, qui se in ea fundat, probanda est, arg. l. vlt. pr. et §. 1. naut. caup. ^{c)} Str. S. I. C. Exerc. VIII. th. 117. ICti Tub. Vol. IX. conf. 24. n. 51. ^{d)} Decif. 202. n. 22.

münem reddere, dubitationi exemptum est, ^{a)} cum lex necessitatem rerum restituendarum damnique reparandi cauponi, in gratiam ac fauorem peregrinantium imponat, fauori autem pro se introducto renunciare cuiuslibet integrum sit. ^{b)} Tale vero pactum adest, si caupo etc. fuerit protestatus, *se teneri velle*, ac hospitem, ut res suas seruaret, admonuerit, isque acquieuerit in eo. ^{c)} Qui consensus in illam recipientis protestationem tam *expresse*, quam *tacite*, ^{d)} potest declarari. Vtroque modo omnis profecto dubitatio exulat, quin validum pactum addit, quod recipientem ab obligatione liberet. Hoc tamen interest inter expressam atque tacitam acceptationem, quod illa semper valeat, imo ipsam receptionem absque protestatione factam demum secuta, in posterum et quoad futura liberet ab obligatione cauponem, ^{e)} at tacita acceptatio non cogitari potest, nisi protestatio ante ipsam rerum illationem fuerit interposita, ^{f)} et illatio rerum subssecuta fuerit, ex qua consensus in protestationem colligi possit. ^{g)} Rebus vero iam receptis protestando sese liberare haud poterit caupo ab obligatione ac periculo custodiae, propterea quod hospitibus ius ex receptione quaesitum est, quod folius cauponis protestatione iis inuitis auferri nequit. ^{h)} Neque vero ex mero hospitem silentio consensus conici poterit, cum silens pro consentiente haberi non possit, nisi lex adit, quae dissensus significationem iubeat. ⁱ⁾ Plane vero singularis est Strykii ^{k)} quam haudquaquam amplectimur, opinio, existimantis

a) arg. l. 1. §. 6. depof. l. 23. de R. I.

b) l. 29. C. de pact. l. pen. C. de transact. c. 5. X. de renunc. Neque hoc pactum dici poterit publicae securitati aduersum, adeoque non ferendum, l. 34. l. 38. de pact. cum pacta personas contrahentium non egrediantur, nec tertium obligent. c) l. 7. pr. D. naut. caup. d) veluti res sine contradictione in ferendo, vel caluam cubiculi acceptando, arg. l. 32. ff. de LL. l. 48. §. 3. ff. de aedil. edict. e) Kestner. c. Diss. c. 1.

f) c. 1. ibi *praedixerit*. g) Hopp. c. 1. p. 811. M. G. Wernh. c. 1. §. 3. Str. U. M. ff. IV. IX. §. f. et Kestner. c. Diss. th. XIV. h) a. l. 11. ff. de R. I. i) l. 11. §. 4. ff. de int. in iur. fac. can. 3. D. XXVIII.

k) in Tr. de act. inu. c. 1.



mantis, cauponi protestationem suam prodesse, tamen si diserte hospites declarauerint, se in ea nolle adquiescere, ex ratione, quod ex quasi contractibus quoque nemo inuitus obligetur. ^{l)} Etenim cum caupo vi ipsius, quam profitetur, artis ad recipiendum ordinarie obligatus sit, ^{m)} ne peregrinantes diuertendi occasione careant, ac vigore legis ad custodiam rerum receptarum teneatur, protestatio insuper ius nouum non conciliet, sed modo saluet ius protestantis, ⁿ⁾ nos quidem non intelligimus, quo pacto recipientem sua ipsius protestatio ab obligatione, quam lex ei imponit, absoluere valeat. Vt taceamus, per hoc futurum esse, ut fraus fieret legi, et contra intentionem l. 19. D. de LL. saluis quidem verbis eius sententia circumueniretur.

§. 22.

Tandem *causa efficiens* damni dati recipientem ab obligatione immunem reddet, si videlicet illud mero casui fortuito tribuendum sit. Quemadmodum enim damni fatalis reparandi obligatio nemini ordinarie incumbit, casum potius fatalem in omni negotio ferre tenetur dominus, ⁿ⁾ ita hunc actio de re-
ceptis

l) quod arg. l. f. C. de negot. gest. statuit.

m) Quin in arbitrio hospitis positum non sit pro labitu repellere eos, qui hospitio excipi cupiunt, extra dubitationem est, Meu. p. 3. dec. 63. Cui adsertioni non refugatur l. 1. §. 1. naut. caup. vtpote de *principio professionis* intelligenda ex interpretatione Brunn. in Comment. ad ff. et M. G. Wernh. c. l. §. 1. 2. vel iuxta alios de possessore caupone accipienda, qui ius suum *non exercet*, v. Str. tr. de act. inu. S. I. M. IX. §. 39. lit. g. Ob defectum tamen in testimoniis recipi volentium, aut si destituantur pecunia, vel spatium non superfit in diuersorio iustam a recipiendo excusationem hospites habent. In primis in Sax. El. legitimis testimoniis destitutos recipere hospites sub multa prohibentur vi Mand. contra raptores lati d. a. 1753. Adde Mand. d. a. 1728. Gen. d. a. 1747. Mand. d. a. 1763. et Circul. d. a. 1765.

n) Welenb. conf. 49. n. 27.

a) l. 23. ff. de R. l. l. 9. C. de pign. Berg. O. I. lib. 3. lit. 8. th. 3. Const. 26. P. II. Kraus. c. Diff. de act. de rec. damn. non persequente. Kestner in laud. Disp. de iur. peregrinant. Th. XIII.

ceptis quoque nunquam persequitur. ^{b)} Et licet hoc edicto recipiens omnimodo teneri dicatur, etiamsi culpa reus non sit, ^{c)} adeoque videri posset, ac si vel de fatali damno respondere cogatur, nos tamen nulli dubitamus, quin amplectemur interpretationem Brunn. ^{d)} existimantis, rem *absque culpa* periisse hic dici eam, quae culpa *leuissima* perierit recipientis, alioquin enim obligari hunc non posse. Quam interpretandi rationem egregie adiuuat ipse legis contextus. Antecedentia enim laudatae legis verba rationem reddunt, cur actio ex edicto praetoris descendens, introducta sit, ideo scilicet, ut hospites mediante ea ad damnum *sine culpa* datum resarciendum adigantur, cum alioquin ob dolum solummodo, aut culpam, actionibus conducti, vel depositi conueniri possint, et reprimendae hoc genus hominum improbitatis ergo praetorem ita statuisset. Quod de culpa *leuissima* nemo est, qui non interpretetur, praesertim cum damnum *fatiale* damno sine culpa dato contradistinguat, atque ab isto praestando finalia legis verba recipientes luculenter absoluant. Damnum sine culpa datum dicitur hic pro damno non *leui*, sed *leuissima* culpa dato; *culpam* enim, absque praedicto adiuncto, *leuem* significare, iuris est notissimi. ^{e)} Salua igitur manet supra data de casu non praestando regula; interim obligatio cauponum ad indefessam curam, ut res receptae saluae sint, tam late patet, ut culpa rei iudicentur, si hospiti ab hospite damnum dare passi sint, ^{f)} cum iis incumbat necessitas omnimodo securitati ac incolumitati rerum sibi delatarum inuigilandi, et sola aduersa fortuna aut vis maior, quae, ut damnum senserint aduenae effecerit, eos ab obligatione liberare valeat, reliquum vero damnum omne ex eorum culpa descendere praesumatur. Quod quidem in gratiam iter facientium ita introdu-

D 2

ctum

^{b)} l. 3. §. 1. in f. D. naut. caup. ^{c)} c. l. 3. eod. ^{d)} in Comm. ad D. ad h. l.
^{e)} l. 7. §. 3. ff. de in lit. iur. l. 2. C. eod. l. 23. de R. I. j. §. 6. I. de susp. tut.
 l. 7. §. 1. ff. eod. l. 11. §. 3. ff. ad L. Iul. de adult.
^{f)} l. 1. §. f. l. 2. 3. pr. naut. caup.



ctum est; neque tamen inique, quum sibi imputent, quod homines nequam, qui aliis hospitibus damno sunt, hospitio exceperint suo, nec quominus damnum dare possent, diligentius prospexerint, siquidem a culpa alienus non est, qui non impedit, quod impedire potest ac debet. ^{g)} Ex his quoque palam est, cum omne damnum non fatale imputetur cauponi, ac ex eius culpa proficisci credatur, damnum datum probasse, ex parte actoris sufficere, neque hunc de culpa probanda, potius recipientem, exceptionem damni fatalis opponentem, de hac probanda oportere, esse sollicitum. ^{h)}

§. 23.

Iam huic commentationi coronidem imponentes moneamus adhuc, etiam tunc cessare pluries laudatam actionem, si hospes furtum passus furti actione iam egerit, ubi actione de receptis actoris exceptione doli repellitur, sicuti vicissim eadem exceptio obstat experiri cupienti actione furti, si iam actionem de recepto aduersus exercitorem instituerit, ne saepius de eiusdem hominis admissio quaeratur. ⁱ⁾ Quamquam enim ipso iure harum actionum altera alteram non absorbeat, officio iudicis tamen, vel exceptione doli generalis efficitur, ne utraque actione agi possit. ^{b)}

^{g)} a. l. 50. l. 99. ff. de R. I.

^{h)} Wernh. p. 8. obf. 322. 323. Str. tr. de act. inu. c. l. §. 33. n. b.

ⁱ⁾ l. 4. ff. naut. caup.

^{b)} Brunn. ad d. leg.

E M E N D A N D A.


Pag. 2. lin. 5. 6. l. culpa lata datum. pag. 2. lin. 20. aestutiae, l. astutiae.
 pag. 5. lin. 19. l. actionis fundamentum esse. pag. 6. not. b. lin. 3. pro consensui
 l. consensu. pag. 8. lin. 17. l. culpa lenissima data resarcienda. pag. 9. not. a.
 lin. 3. pro atrarii l. atrarii. pag. 9. lin. 7. l. alicui ex huius. p. g. 13. lin. 6.
 l. quid moliantur.



Wittenberg, Diss., 1786-88



f
Sl.



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

24/ 16

Q. D. B. V.

DE

INDOLE ACTIONIS DE RECEPTO
EIVSDEMQUE VSV HODIERNO
FORENSI

1789 10

COMMENTATIO

Q V A M

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS
A V C T O R I T A T E

P R A E S I D E

CAROLO CHRISTIANO AVGVSTO VLIHIO

PHIL. ET IVR. VTR. DOCTORE

D. XIII NOVEMBRIS A. R. S. MDCCLXXXVII

H. L. Q. C.

ERVDITORVM DISQVISIONI

S V E M I T T E T

IOANNES GOTTLOB KRAZSCH

B O R N A - M I S N I C V S .

VITEBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.